



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Robertvs Abb. 7. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

cum flores habuit, quos in sua rosaria transferre Superi amabant? Sed & nunc tales daret, si non ungue infesto invidus cælo heu! mundus præriperet. *Es Sario.*

S. ROBERTVS ABB. 7. Junii.

ROBERTVM alterum D. Bernardi oculum imitandum proponimus, eâ frugalitate virum, ut helluari sibi videretur, si ipsis Paschalibus avenaceum panem butyro adipatum gustasset. Genium ergo suum defraudans intactum pauperibus remisit. Sed debebatur cælo tam delicatum Apophoretum, tantaq; virtute conditum. Angelus sub centonibus latitans eo donatus est, argumentis aliis pluribus, & illo maxime agnitus, quod discum invisus omnibus in mensam retulit, & paulò post, quasi vicem relaturus, lato ROBERTVM nuncio beavit, nomina discipulorum ejus albo cæli inserta esse, duos duntaxat eâ felicitate excidisse: ex quibus alterum credibile est eum ipsum fuisse, quem è medio orantium cœtu dæmonis furcâ abstractum, auferri ab eo sportâ aspexit spoliū orco. Aliàs globo juvenum immixtum Cacodæmonem, & singulorum auribus sua venena insufurrantem à magni sceleris apparatu abduxit, fatentem postea certum sibi fuisse, nuptiales ludos jurgiis, & multâ cæde finire,

re,

te, nisi à ROBERTO esset interpellatus. Sub annum M.C. LIX. mortuum Godricus familiaris ejus ignei globi specie à tribus Angelis inferri cælo vidit, allatrantibus ponè stygiis larvis, plusquam caninâ impudentiâ, utique si talis prædæ spem neque illo rerum articulo deposuerunt. Nobis quid fiet, qui nunc his belluis colludimus, & neque fuscinam satis neque sportam prædatoriam timemus? *Ex Surio.*

S. VICTORINVS CONF.

8. Junii.

REtè olim pronunciatum est, ut-
 cunque rara sit inter homines inno-
 centia, plures esse, qui ab eâ nunquam
 diverterint, quàm qui seriò reverterint.
 His tamè tam paucis VICTORINVM
 accenseas licet magnum pœnitentiæ
 miraculum. Romæ natus cum Severino
 fratre Camerinum discesserat, tutissi-
 mum vitæ genus, vitato omni humano
 consortio, aggressus: sed quod mihi
 asylum dabis, quod non dæmonis im-
 probitas perrumpat? Is vultum habi-
 tumque foeminae mentitus nocte in-
 tempestâ VICTORINI tuguriû auresq;
 lamentis opplevit, dignaretur tecto ul-
 tima pericula metuentem, neque præ-
 dam se feris objiceret. Peccaturus in
 humanitatē sibi VICTORINVS vide-
 batur, si ad has preces obsurduisset.

V s Recit-